



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

• EPISTOLA I.  
CÆLESTINI PAPÆ I.  
AD EPISCOPOS GALLIÆ.

I. *Vt ab episcopis reprimantur presbyteri quidam, qui ecclesiam nouis questionibus turbabant.* II. *Quod sancti Augustini vitam & doctrinam magni semper fecerit sedes apostolica.*

*Dilectissimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Sillucio, &ceteris Galliarum episcopis, Cælestinus.*

**A**POSTOLICI verba præcepti sunt, apud Iudeos atque Gentiles sine offensione nos esse debere. Hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ auctoribus Christianis percellunt animos Christianos, dominicus in euangelio sermo testatur. Ait enim ipse saluator, *quod expedit scandalizanti unum de pusillis in maris profundum demergi.* Ideo quæ sit iam eius poena quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

I.

Fili nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum <sup>b</sup> nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati. Sed vestræ dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus, *super magistrum non esse discipulum*, hoc est *non sibi debere quemquam ad iniuriam doctorum vendicare doctrinam.* Nam & hos ipsos a Deo nostro positos nouimus ad docendum, cum sit dicente Apostolo eis tertius locus intra ecclesiam deputandus. *Quid illic spei est, vbi magistris tacentibus hi loquuntur, qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt?* Timeo ne conniuere fit hoc tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspitione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas dis-

*Matth. 18.  
Marc. 9.  
Luc. 17.*

*1. Cor. 12.  
Ephes. 4.*

O o o iij